

Homilia sancti Gregorii Papae.

*Homilia 32 in Evang. habita ad populum in Basilica
ss. Process. et Martiniani ad eorum tumbam.*

Ad sanctorum Martyrum Processi et Martiniani corpora consistimus, fratres mei, nunquid isti carnem suam in mortem darent nisi eis certissime constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant: ad extincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt et sanantur, perjuri veniunt et a dæmone vexantur: daemониaci veniunt et a dæmone liberantur: quomodo ergo vivunt illi ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt? Rem, fratres, dico brevem verbo, sed non parvam merito, quam religiosis quibusdam senibus narrantibus agnovi.

R. Propter testamentum Domini.

V. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! Quia unus.

(Bened.) Quorum festum colimus.

Lectio VIII.

Gothorum tempore Matrona fuit valde religiosa, quae ad horum Martyrum Ecclesiam crebro veniebat: quadam die dum ex more ad orandum venisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu Monachos invenit, peregrinos credidit, dare eis aliquid eleemosinae praecipit. Sed priusquam ejus erogator eis ad largiendam eleemosinam propinquasset, astiterunt illi vicini et dixerunt: tu nos modo visitas, nos in die judicii te requiremus et quidquid possumus, praestabimus tibi: quo dicto ab oculis ejus ablati sunt; territa illa ad orandum rediit seque in lacrimis prolixius effudit, et facta est post